AUTHOR:

STRUBE, E.

TITLE:

DE RHETORICA JUVENA-
LIS DISCIPLINA...

PLACE:

BRANDENBURG a. d. H.

DATE:

[1875]

Master Negative #

93-81600-24

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Strube, E

...De rhetorica Juvenalis disciplina, von Dr. Strube. Brandenburg a. d. H., Wiesike, 1875.

18 p. 26 cm.

At head of title: Jahres-bericht über das Vereinigte alt- und neustaedtische Gymnasium zu Brandenburg...

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 12½x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 7-19-93 INITIALS SS

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

BIBLIOGRAPHIC IRREGULARITIES

MAIN
ENTRY: Strube, E.
De rhetorica Juvenalis...

Bibliographic Irregularities in the Original Document

List volumes and pages affected; include name of institution if filming borrowed text.

_____ Page(s) missing/not available: ____________

_____ Volumes(s) missing/not available: ____________

_____ Illegible and/or damaged page(s): Entire Book damaged

_____ Page(s) or volumes(s) misnumbered: ____________

_____ Bound out of sequence: ____________

_____ Page(s) or illustration(s) filmed from copy borrowed from: Princeton University

_____ Other: ____________

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

JAHRES-BERICHT

ÜBER

DAS VEREINIGTE ALT- UND NEUSTÆDTISCHE

GYMNASIUM ZU BRANDENBURG

VON OSTERN 1874 BIS OSTERN 1875,

VERFASST

VON

DR. A. IMHOF,

DIREKTOR.

VORAN GEHT:

DE RHETORICA JUVENALIS DISCIPLINA. VON DR. STRUBE.

BRANDENBURG A. D. H.

BUCHDRUCKEREI VON J. WIESIKE.

1875.

De rhetorica Juvenalis disciplina.

Juvenalem ad mediam fere aetatem declamasse, hoc est exercitationibus rhetoricis operam dedisse, ut ejus vitae auctor pervetustus tradit, is facile adducitur ut credat, qui ejus satiras quamvis veloci oculo perlegerit; inveniuntur enim in iis tot vestigia rhetoricae hominis disciplinae, quamne in vehementissimo quidem poëtici ardoris impetu aut abjicit aut dissimulat, ut neminem fugere possint. Declamavit autem Juvenalis, si vitae auctori fidem habemus, ut qui libertini locupletis incertum filius an alumnus ad equestris ordinis dignitatem pervenisset, animi magis causa quam quod scholae se ac foro praepararet. Neque id mirum, nam illo tempore non solum is rhetorum scholas frequentare debebat, qui ad causas et privatas et publicas aditurus dicendi rationem discere vellet, sed quisquis artibus et literis erudiri cupiebat. Itaque jam sub Augusto fieri solebat, ut etiam poëtae se in rhetorum disciplinam traderent et scholastici vel declamatores — quo nomine studiosi appellabantur — uno vel pluribus rhetoribus longum tempus magistris uterentur, quod nimirum multum ad dicendi genus mutandum valebat. Et ex magnis quidem poëtis Ovidius, in cujus carminibus vestigia rhetoricae disciplinae animadvertuntur, primus rhetorum institutione usus esse videtur. Erudiebantur autem et docebantur discendi studiosi ita ut primum grammaticorum, tum demum rhetorum scholis interessent. Atque grammatici, si Quintiliani (de instit. orat. I, 9.), cujus quidem in hac re maxima esse debet, auctoritatem sequimur, duas partes pollicebantur, rationem loquendi et enarrationem auctorum, quarum illam methodicen hanc rhetoricen vocabant. Discebant igitur pueri Aesopi fabellas puro sermone narrare, versus primo solvere, mox mutatis verbis interpretari, tum paraphrasi audacius vertere, breviare quaedam et exornare sed salvo poëtae sensu. Deinde sententiae et chriae et ethologiae subjectis dictorum rationibus scribebantur, denique narratiunculae a poëtis celebratae notitiae causa non eloquentiae tractabantur. Distribuebant autem praeceptores pueros in classes ordinemque dicendi secundum vires ingenii dabant: et ita superiore loco quisque declamabat, ut praecedere profectu videbatur (Quint. I, 2, 23.). Sed optime grammatici Latini, qui ab Augusti aetate omnem vitam in studiis grammaticis consumere solebant, de literis Romanis meriti sunt eo quod praeclara poëtarum opera eligebant et pervulgabant et de ratione latine dicendi ad exempla illorum subtilium et elegantium scriptorum scribebant. In scholae autem usu erant praesertim praestantia illa opera, quae Ciceronis et Augusti aetate nata sunt, ita ut potissimum libri Ciceronis Vergilii Horatii evolverentur, quibus Terentii fabulae adjungebantur. Et quantum grammatici valuerint ad pervulganda carmina eaque in exempla lectionis referenda colligi potest ex Horatii verbis in epist. I, 19 v. 40: „non ego — Grammaticas ambire tribus et pulpita dignor.“ In tantis meritis tamen grammaticorum rara et parum diligens mentio fit, sed id quidem Suetonius nobis tradit, primum omnium Q. Caecilium Epirotam, Attici libertum, latine ex tempore disputasse primumque Vergilium aliosque poëtas novos praelegere coepisse. Posteriore quoque tempore optime, ut Quintilianus (I, 6, 5.) judicat, institutum erat, ut ab Homero atque Vergilio lectio inciperet. Nimirum lectio se non continebat iis scriptoribus, qui in scholis adhibebantur, sed uniuscuiusque arbitrio permissum erat, suis studiis obsequi et privata lectione mentem formare, ut apparet ex sermonis colore et locis imitatione effictis aliisque rebus, quarum memoria poëtarum animos subiit. Sic in Juvenalis quoque satiris multi inveniuntur loci, ex quibus cognos-

citur, quam peritus bonorum scriptorum fuerit. Quos locos hic afferre mihi in animo est, praesertim cum majore ex parte iis scriptoribus debeantur, qui in scholis lectitabantur, itaque ostendant grammaticos permultum ad doctrinam illius aetatis valuisse.

Initium igitur faciamus ab iis locis, qui ad **Ciceronis** voces referendi esse videntur. In sat. I, v. 7 legitur: „Nota magis nulli domus est sua quam mihi lucus etc.", in quo versu scribendo Juvenalis sine dubio locum Ciceronis ante oculos habuit, qui est in praeclara illa epistola (I, 1, 16.) ad Quintum fratrem: „Quamquam illud existimo, cum jam tibi Asia sicut unicuique domus sua nota esse debeat." Quintus enim tum temporis jam tertio anno proconsul provinciae Asiae praeerat. Etiam ejusdem satirae versus 150, ubi exstat: „Utere velis — Totos pande sinus" Ciceronis memoriam affert, qui eadem metaphora utitur in Tusc. disp. lib. IV, c. 5: „Panderem vela orationis." Deinde Juvenalis in sat. II v. 37 exclamans:

„Ubi nunc lex Julia?" et v. 38 sq.:
„Felicia tempora quae te — Moribus opponunt"

Ciceronem secutus esse videtur, in cujus orat. Phil. V § 8 legitur: „Ubi lex Caecilia et Didia?" et in oratione pro Sexto habita § 20: „Habeo quem opponam labi illi atque coeno." Sine dubio autem poëtae animum, cum scribebat in sat. V v. 188:

„Cum sit turpe magis nostris nescire latine."

memoria loci illius in Ciceronis Bruto (§ 140) subiit: „Non enim tam praeclarum est scire latine, quam turpe nescire."

Sat. V, 5: „Quamvis jurato metuam tibi credere testi."
dictum ut in Cic. ad Att. ep. XIII, 28:

„Jurato mihi crede."

Deinde versus 122 sqq. Sat. X:

„O fortunatam natam me consule Romam —
„Antoni gladios potuit contemnere, si sic
„Omnia dixisset."

ad Ciceronem spectant, qui carmen epicum de consulatu suo illo versu inchoaverat (Quint. IX, 4, 41.) et in oratione Phil. II § 118 dicit: „Defendi rem publicam adolescens, non deeram senex; contempsi Catilinae gladios, non pertimescam tuos!"

Jam conferas Sat. VIII v. 231 sqq.:

„Quid, Catilina, tuis natalibus atque Cethegi
„Inveniet quisquam sublimius? arma tamen vos
„Nocturna et flammas domibus templisque paratis, etc."

cum verbis Cic. in Catil. I c. 3.: „Quid? cum te Praeneste Kalendis ipsis Novembribus occupaturum nocturno impetu esse confideres, sensistine etc." et c. 4.: „decripsisti urbis partes ad incendia."

Sat. VIII, v. 235: „Sed vigilat consul."
cf. Cic. in Cat. I § 8: „Jam intelliges multo me vigilare acrius ad salutem, quam te ad perniciem rei publicae."

Restat denique locus in Sat. II v. 71:

„Nudus agas, minus est insania turpis,"

ubi cum Heinrichio pro „insania" „infamia" legendum esse puto. Hanc autem lectionem veram esse apparet ex loco Ciceronis ab illo allato in orat. Phil. II § 86, ubi Antonius, quomodo se in concione gesserit his verbis depingitur: „O praeclaram illam eloquentiam tuam, cum es nudus concionatus! quid hoc turpius? quid foedius? quid suppliciis omnibus dignius?" Quem locum sine dubio Juvenalem in animo habuisse testis quoque est ejusdem satirae versus 82:

„Foedius hoc aliquid quandoque audebis amictu."

(Vide quae Heinrichius in comment. ad h. l. annot.)

Videamus jam locos, qui **Vergilii** memoriam afferunt. Primus est in „barba sonabat" similiter dicitur ut in Aen. lib. II v. 135:

„Ferro sonat alta bipenni fraxinus."

Sat. III versum 84: „Usque adeo nihil est, quod nostra infantia coelum
„Hausit Aventini . . . ."

conferas cum Verg. Aen. lib. X v. 899: „Contra Tyrrhenus, ut auras
„Suspiciens hausit coelum mentemque recepit . . ."

Sat. VI v. 326 Juvenalis Priamum „Laomedontiaden" vocat, ut primus lib. VIII v. 158.

Sat. VII v. 66 sqq.: „Magnae mentis opus . . . .
„Aspicere et qualis Rutulum confundat Erinys.
„Nam si Vergilio puer et tolerabile deesset
„Hospitium, caderent omnes a crinibus hydri;
„Surda nihil gemeret grave buccina; . . . ." Respexit

Aen. lib. VII v. 511 sqq.: „At saeva e speculis tempus dea nacta nocendi . . . .
„Pastorale canit signum cornuque recurvo
„Tartaream intendit vocem: . . . . .

v. 519: „Tum vero ad vocem celeres, qua buccina signum
„Dira dedit, ..."

et Aen. lib. VII v. 447: „ . . . tot Erinys sibilat hydris"
et v. 450: „ . . et geminos erexit crinibus angues."

Sat. X v. 218: „ . . . circumsilit agmine facto — Morborum omne genu
Verg. Aen. lib. I v. 82: „ . . . ac venti, velut agmine facto, — Qua data porta,

Sat. II v. 149 sqq.: „Esse aliquos Manes et subterranea regna
„Et contum et Stygio ranas in gurgite nigras,
„Atque una transire vadum tot milia cymba,
„Nec pueri credunt . . ." spectant ad locum Verg. Aen. lib.

ubi „vasta voragine gurges aestuat", et Charon

„Ipse ratem conto subigit velisque ministrat
„Et ferruginea subvectat corpora cymba."

Sat. XI v. 102 sqq.: „Magnorum artificum frangebat pocula miles
„Ut phaleris gauderet equus caelataque cassis
„Romuleae simulacra ferae mansuescere jussae
„Imperii fato, geminos sub rupe Quirinos etc." Memo

loci apud Vergilium Aen. lib. VIII v. 630 sqq., ubi clypeus Aeneae describitur:

„Fecerat (Ignipotens) et viridi fetam Mavortis in antro
„Procubuisse lupam: geminos huic ubera circum
„Ludere pendentes pueros et lambere matrem
„Impavidos; illam tereti cervice reflexam
„Mulcere alternos et corpora fingere lingua."

Sat. XV v. 65: „ . . . nec hunc lapidem quales et Turnus . ."

Apud Vergilium Aen. lib. XII v. 896 sqq. Turnus

„Nec plura effatus, saxum circumspicit ingens,
„Saxum antiquum, ingens, quod forte jacebat . . . .

„Vix illud lecti bis sex cervice subirent
„Qualia nunc hominum producit corpora tellus."
Quae leguntur in Sat. V, v. 44 sqq.:
„ . . . gemmas ad pocula transfert
„A digitis, quas in vaginae fronte solebat
„Ponere zelotypo juvenis (Aeneas) praelatus Jarbae,"
spectant ad Aen. lib. IV versum 261:
„ . . . atque illi (Aeneae) stellatus iaspide fulva — Ensis erat."
Jam conferas Sat. I v. 40: „ut nudis pressit qui calcibus anguem"
cum Aen. lib. II v. 380 sqq.: „Improvisum aspris veluti qui sentibus anguem
„Pressit humi nitens . . .";
Sat. V v. 138: „nullus tibi parvulus aula luserit Aeneas."
cum Aen. lib. IV v. 328 sqq.: „Si quis mihi parvulus aula — Luderet Aeneas."
Sat. VI v. 50: „Paucae adeo Cereris vittas contingere dignae . . ."
cum Aen. lib. II v. 168: „Virgineas ausi divae contingere vittas."
Sat. IX v. 102: „O Corydon, Corydon, secretum divitis ullum
„Esse putas?"
cum Verg. Ecl. II v. 69: „O Corydon, Corydon, quae te dementia cepit."
Sat. III v. 199: „Jam poscit aquam, jam frivola transfert — Ucalegon."
cum Aen. lib. II v. 311: „ . . jam proximus ardet — Ucalegon."
Sat. VI v. 12: „Vivebant homines, qui rupto robore nati . ."
cum Aen. lib. VIII v. 315: „Gensque virûm truncis et duro robore nata . ." (Od. I, 163: ἀπὸ δρυὸς ἢ ἀπὸ πέτρης.)
Sat. X v. 292: „ . . pulchra gaudet Latona Diana."
cum Aen. lib. I v. 502: „Latonae tacitum pertentant gaudia pectus. (Od. VII, 106: γέγηθε δέ τε φρένα Λητώ.)
Deinde Juvenalis Vergilium secutus est in Sat. V v. 12: „Primo fige loco . . ." scil. animo, nam modo ille verbum „figere" eadem notione ponit in Aen. lib. III v. 250:
„Accipite ergo animis atque haec mea figite dicta."
Ridicule autem Juvenalis verbis in Sat. II v. 99:
„Speculum — pathici gestamen Othonis."
imitatur Vergilii locum, qui est in Aen. lib. III v. 268:
„Cypeus magni gestamen Abantis."
Denique ipsis Vergilii verbis in Aen. lib. XII v. 94: „Actoris Aurunci spolium." utitur Juvenalis in ejusdem satirae v. 100.

Jam ea, quae ad **Homerum** formata esse videntur, afferre libet. Primum locum habes in sat. III v. 176: „In gremio matris formidat rusticus infans."
Similiter dicit Homerus in Il. lib. VI v. 467 sqq.:
„ἂψ δ' ὁ πάϊς πρὸς κόλπον ἐϋζώνοιο τιθήνης
„ἐκλίνθη ἰάχων . . ." Deinde noster Homeri „ἀγάλματα θεῶν" (Od. X, 509) et „ψυχὰς ἰφθίμους" (Il. I, 3. a. l.) in Latinum vertit „ornamenta deorum" (Sat. III v. 218) et „illustres animas." (Sat. VI v. 152.)
Sat. II v. 55: „ . . vos tenui praegnantem stamine fusum
„Penelope melius, levius torquetis Arachne . ."
Od. XVII, 97: „λέπτ' ἠλάκατα στρωφῶσα."
Sat. II v. 128 sqq.: „Gradive . . ., Nec galeam quassas, nec terram cuspide pulsas . ."

Od. V, 81: ὁ δ' ἐχώσατο κηρόθι μᾶλλον — κινήσας δὲ κάρη (sc. 'Ενοσίχθων.).
Sat. III, 280 sqq.: „ . . . noctem patitur lugentis amicum
„Pelidae, cubat in faciem, mox deinde supinus."
Homerus dicit Il. 24, 10: „ἄλλοτ' ἐπὶ πλευρὰς κατακείμενος ('Αχιλλεύς), ἄλλοτε δ' αὖτε
„ὕπτιος, ἄλλοτε δὲ πρηνής"
Sat. XIII v. 112 sqq.: „Tu miser exclamas ut Stentora vincere possis
„Vel potius quantum Gradivus Homericus."
Juvenalis in animo habuit duos locos Homeri, Il. V, 785 sqq.:
„Στέντορι εἰσαμένη ("Ηρη) μεγαλήτορι, χαλκεοφώνῳ,
„ὃς τόσον αὐδήσασχ', ὅσον ἄλλοι πεντήκοντα."
et ejusdem libri v. 859 sqq.: „ . . . . . ὁ δ' ἔβραχε χάλκεος Ἄρης,
„ὅσσον τ' ἐννεάχιλοι ἐπίαχον ἢ δεκάχιλοι
„ἀνέρες ἐν πολέμῳ ἔριδα ξυνάγοντες ἄρηος."
Sat. X v. 65 sqq.: . . . nec hunc lapidem, quales et Turnus et Aiax,
„Vel quo Tydides percussit pondere coxam
„Aeneae, sed quem valeant emittere dextrae
„Illis dissimiles et nostro tempore natae.
„Nam genus hoc vivo jam decrescebat Homero."
Homerus in Il. VII, 263 sqq.: „Ἕκτωρ . . . λίθον εἵλετο . . . . μέλανα, τρηχύν τε μέγαν τε.
„δεύτερος αὖτ' Αἴας πολὺ μείζονα λᾶαν ἀείρας
„ἧκ' ἐπιδινήσας . . ." et in Il. V, 302 sqq.: „ . . ὁ δὲ χερμάδιον λάβε χειρὶ
„Τυδείδης, μέγα ἔργον, ὃ οὐ δύο γ' ἄνδρε φέροιεν,
„οἷοι νῦν βροτοί εἰσ'. ὁ δέ μιν ῥέα πάλλε καὶ οἶος.
„τῷ βάλεν Αἰνείαο κατ' ἰσχίον . . ."
Sat. VI v. 5: „ . . . torum cum sterneret uxor."
Affinis versus Homeri Od. III, 403: „ἄλοχος λέχος πόρσυνε καὶ εὐνήν."
Jam conferas Sat. VIII v. 45: „Quorum nemo queat patriam monstrare parentis."
cum Od. I, 216: „οὐ γάρ πώ τις ἑὸν γόνον αὐτὸς ἀνέγνω."
et Sat. VIII v. 44: „ . . . tergens — Brachia Vulcanus Liparaea nigra taberna."
cum Il. XVIII v. 414: „σπόγγῳ δ' ἀμφὶ πρόσωπα καὶ ἄμφω χεῖρ' ἀπομόργνυ ("Ηφαιστος) . . ."
Denique non praetereundus est Sat. IX versus 37, qui παραδόξου exemplum praebet, cum Juvenalis verba Homeri in Od. lib. XVI v. 294: „αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα σίδηρος."
submutet in haecce: „αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα — κίναιδος." Lectionem Homeri declarant quoque Sat. X v. 246 sqq.: „Rex Pylius, magno si quidquam credis Homero,
„Exemplum vitae fuit a cornice secundae."
Sat. XV v. 15 sqq.: „Attonito cum — Tale super coenam facinus narraret Ulixes
„Alcinoo . . ."
Sat. VIII, 268: „Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis
„Aeacidae similis Vulcaniaque arma capessas,
„Quam te Thersitae similem producat Achilles." Sat. IX v. 64. 150. a. l.

Venimus ad eos locos, in quibus scribendis Juvenalis **Horatium** ante oculos habuisse videtur. Ac primum quidem noster in
Sat. I v. 1 sqq.: „Semper ego auditor tantum? numquamne reponam,
„Vexatus toties rauci Theseïde Cordi?"

eandem profert sententiam, quam Horatius in epist. lib. I. ep. 19 v. 39:
„Non ego nobilium scriptorum auditor et ultor.“
Deinde certo memor fuit Juvenalis cum scripsit in Sat. I v. 51:
„Haec ego non credam Venusina digna lucerna?“
duorum Horatii locorum, qui sunt in epist. lib. II, ep. 1 v. 212: „ . . et prius orto
„Sole vigil calamum et chartas et scrinia posco.“ et in epist. lib. II,
ep. 2 v. 35: „Posces ante diem librum cum lumine.“
Sat. I v. 59: „Bona donavit praesepibus.“
Affinis versus illi Horatiano in Serm. lib. I, 2 v. 56:
„Qui patrium mimae donat fundumque laremque.“
Sat. I v. 142: „Poena tamen praesens.“
Hor. carm. lib. III, 2 v. 31: „Raro antecedentem scelestum — Deseruit pede Poena claudo.“
Sat. II v. 12: „Promittunt atrocem animum.“
Hor. carm. lib. II, 1 v. 24: „praeter atrocem animum Catonis.“
Sat. II v. 190 sqq.: „gelida Praeneste — proni Tiburis.“
Hor. carm. lib. III, 4 v. 22: „Frigidum Praeneste — Tibur supinum.“
Sat. VII v. 62: „Satur est cum dicit Horatius Euhoe.“
Hor. carm. lib. II, 19 v. 5: „Euhoe recenti mens trepidat metu.“
Sat. X v. 106 sqq.: „ . . numerare parabat
„Excelsae turris tabulata, unde altior esset — Casus . . . “
Hor. carm. lib. II, 10 v. 10: „Saevius ventis agitatur ingens
„Pinus et celsae graviore casu
„Decidunt turres.“
Sat. X v. 129: „Dis ille adversis genitus fatoque sinistro.“
Hor. Serm. lib. II, 7 v. 14: „iratis natus paries dis.“ et Serm. lib. II, 3 v. 8:
„Vertumnis quotquot sunt natus iniquis.“
Sat. III v. 4: „Janua Baiarum est et gratum litus amoeni — Secessus.“
Hor. epist. lib. I, 1 v. 83: „Nullus in orbe locus Baiis praelucet amoenis.“
Sat. III v. 143: „Quantum quisque sua nummorum servat in arca
„Tantum habet et fidei.“
Hor. Serm. lib. I, 1 v. 62: „Nil satis est, inquit, quia tanti, quantum habeas, sis.“
Sat. VI v. 436: „ . . . . inde Maronem
„Atque alia parte in trutina suspendit Homerum.“
Hor. epist. lib. II, 1 v. 28 sqq.: „Sed quia Graecorum sunt antiquissima quaeque
„Scripta vel optima Romani pensantur eadem
„Scriptores trutina.“
Sat. XIV v. 111 sqq.: „ . . . tamquam frugi, laudatur avarus,
„Tamquam parcus homo.“
Hor. Serm. lib. I, 3 v. 49: „„Parcius hic vivit?“ frugi dicatur . . . “
Sat. VI v. 556: „Et genus humanum damnat caligo futuri.“
Hor. carm. lib. III, 29 v. 29 sqq.: „Prudens futuri temporis exitum
„Caliginosa nocte premit deus.“
Sat. VII v. 58: „ (poëta) cupidus silvarum.“
Hor. epist. lib. II, 2 v. 77: „Scriptorumque chorus omnis amat nemus et fugit urbes.“
Sat. X v. 12: „Sed plures nimia congesta pecunia cura — Strangulat.“
Hor. carm. lib. III, 16 v. 17: „Crescentem sequitur cura pecuniam . . . “

Sat. II v. 105: „et curare cutem.“ Hor. epist. lib. I, 2 v. 29: „in cute curanda“; lib. I, 4 v. 15: „bene curata cute“. Serm. lib. II, 5 v. 38: „Pelliculam curare.“ — Sat. VII v. 150: „o ferrea pectora Vetti.“
Hor. carm. lib. I, 3 v. 9 sqq.: „Illi robur et aes triplex — Circa pectus erat.“ —
Sat. VI v. 145: „Fiant obscuri dentes.“ Hor. carm. lib. II, 8 v. 3: „Dente si nigro fieres.“

Locos, in quibus scribendis Juvenalis animum lectionis **Terentianae** memoria subiit, tres invenimus. Primus est in Sat. I v. 168, ubi legitur: „Inde irae et lacrimae“, quocum conferas illud in Ter. Andr. I, 1 v. 99: „Hinc illae lacrimae“, quod in proverbii consuetudinem venit. (Vide Cic. pro Cael. 25 et Hor. epist. lib. I, 19 v. 41.) Alter locus est in Sat. III v. 209: „illud totum nihil“, ubi Juvenalis Terentium imitatur, qui scripsit in Andr. II, 1 v. 14: „id aliquid nihil.“; tertius denique in Sat. VI v. 284: „Homo sum“, quae ipsa verba leguntur in Ter. Heaut. I, 1 v. 25: „Homo sum, humani nihil a me alienum puto.“

Videmus igitur permultos locos in Juvenalis satiris ad eos scriptores pertinere, qui in grammaticorum scholis legebantur; afferamus jam illos, ex quibus cognoscitur, Juvenalem etiam aliorum opera diligenter evolvisse. **Lucilianae** lectionis testis locupletissimus est Sat. X vers. 65:
„Pone domi laurus, duc in Capitolia magnum
„Cretatumque bovem . . . “, nam in Lucilii satirarum reliquiis legitur
„Cretatumque bovem duci ad Capitolia magna.“

Ovidianae vero lectionis plurima deprehenduntur vestigia.
Sat. II v. 56: „levius torquetur Arachne,“ de qua Ovidius dicit in Metam. libr. VI v. 22:
„ . . . levi teretem versabat pollice fusum.“
Sat. II v. 72 sqq.: „ . . . quo te leges ac jura ferentem
„Vulneribus crudis populus modo victor et illud
„Montanum positis audiret vulgus aratris.“
Ovid. Fast. lib. I v. 207: „Jura dabat populis posito modo praetor aratro.“ et lib. III v. 781:
„et caperet fasces a curvo consul aratro.“
Sat. VIII versus 115: „Consedere duces, surgis tu pallidus Aiax.“ spectat ad Ovid. Met. lib. XIII v. 1 sqq.: „Consedere duces et vulgi stante corona
„Surgit ad hos clipei dominus septemplicis Aiax.“
Sat. XIII, 213: „Faucibus ut morbo siccis interque molares
„Difficili crescente cibo;“
Similiter Ovidius in Heroid. XVI v. 220:
„Crescit et invito lentus in ore cibus.“
Quae leguntur in Sat. I, v. 81 sqq.:
„Ex quo Deucalion nimbis tollentibus aequor
„Navigio montem ascendit sortesque poposcit
„Paullatimque anima caluerunt mollia saxa.“
pertinent ad hos Ovidii versus in Met. lib. I v. 316 sqq.:
„Mons ibi . . . Nomine Parnassus.
„Hic ubi Deucalion, nam cetera texerat aequor
„Cum consorte tori parva rate vectus adhaesit, . . . “
v. 379 sqq.: „„Dic, Themi, qua generis damnum reparabile nostri
„Arte sit, et mersis fer opem, mitissima, rebus.““
„Mota dea est sortemque dedit.“
denique v. 400 sqq.: „Saxa — quis hoc credat, nisi sit pro teste vetustas? —
„Ponere duritiem coepere suumque rigorem

„Mollirique mora mollitaque ducere formam."
Sat. VI v. 176: „Dum sibi nobilior Latonae gente videtur." sc. Niobe.
Juvenalis in animo habuit Ovidii locum Met. VI v. 171 sqq.:
„. . . aut cur colitur Latona per aras,
„Numen adhuc sine ture meum est? „Mihi Tantalus auctor,
„Pleïadum soror est genetrix mea."
et v. 185 sqq.: „Nescio quoque audete satam Titanida Coeo
„Latonam praeferre mihi . . . "
Sat. VI, 268 sqq.: „Semper habet lites alternaque jurgia lectus,
„In quo nupta jacet."
Haec sententia translata videtur ex Ovidii Art. Am. II, 153:
„Lite fugant nuptaeque viros nuptasque mariti
„Inque vicem credunt rem sibi semper agi.
„Hoc decet uxores, dos est uxoria lites."
Sat. VI v. 272 sqq.: „Aut odit (nupta) pueros, aut ficta pellice plorat,
„Uberibus semper lacrimis semperque paratis
„In statione sua atque exspectantibus illam,
„Quo jubeat manare modo: tu credis amorem
„. . . . . fletumque labellis
„Exsorbes . . "
Noster diversos Ovidii locos una imitatione conjunxit. Primum habes Art. am. III, 677:
„Accedunt lacrimae dolor et de pellice fictus.";
alterum Amor. lib. I v. 8: „Quin etiam discunt oculi lacrimare coacti
„Et faciunt udas ille vel ille genas.";
tertium art. am. III, 291: „Quo non ars penetrat discunt lacrimare decenter
„Quoque volunt plorant tempore quoque modo.";
denique quartum Amor. lib. II, v. 325 sqq.: „Et videat flentem nec taedeat oscula ferre
„Et sicco lacrimas combibat ore tuas."
Sat. VI v. 502 sq.: „Tot premit ordinibus tot adhuc compagibus altum
„Aedificat caput. Andromachen a fronte videbis."
Respexit locum in Art. Am. II, v. 645:
„Omnibus Andromache visa est spatiosior aequo."
Sat. VII v. 105: „Sed genus ignavum quod lecto gaudet et umbra."
Ovidius de poëtis in Art. Am. III, 541: „Nec nos ambitio nec amor nos urget habendi,
„Contempto colitur lectus et umbra foro."
Sat. X v. 297: „. . . . rara est adeo concordia formae
„Atque pudicitiae."
Eandem sententiam profert Ovidius in Heroid XVI v. 282:
„Lis est cum forma magna pudicitiae."
Sat. VII v. 210: „. . . Metuens virgae jam grandis Achilles . . "
Alludit Juvenalis ad Ovidii art. am. lib. I v. 13 sqq.: „Qui toties socios toties perterruit hostes
„Dicitur annosum pertimuisse senem.
„Quas Hector sensurus erat, poscente magistro
„Verberibus jussas praebuit ille manus."
Sat. XIV v. 139: „Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit."
Ovidius eandem sententiam tractat in Fast. lib. I, v. 211 sqq.:

„Creverunt et opes et opum furiosa cupido,
„Et cum possideant plurima, plura petunt."
Sat. XV v. 147: „Cujus (sensus) egent prona et terram spectantia."
Ovid. Met. lib. I v. 84: „Pronaque cum spectent animalia cetera terram, . . . "
Sat. VI v. 406: „. . . quibus verbis concumbat quaeque, modis quot."
Cf. cum Ovid. Art. Am. lib. II v. 8 sq.: „Quoque loco fuerim tecum, quotiesque Cypassi,
„Narrabo dominae quotque quibusque modis."
Sat. VI v. 287 sqq.: „Praestabat castas humilis fortuna Latinas
„Quondam, nec vitiis contingi parva si nebant
„Tecta labor somnique breves et vellere Tusco
„Vexatae duraeque manus . . "
Ovid. de medic. fac. v. 11 sqq.: „Forsitan antiquae Tatio sub rege Sabinae
„Maluerunt quam se rura paterna coli,
„Cum matrona premens altum rubicunda sedile
„Assiduum duro pollice nebat opus."
Sat. III v. 30: „. . . maneant, qui nigrum in candida vertunt."
Cf. cum Ovid. Met. lib. XI v. 313 sq.: „Nascitur Autolycus, furtum ingeniosus ad omne
„Qui facere assuerat, patriae non degener artis,
„Candida de nigris et de candentibus atra."

Venimus jam ad locum, qui **Propertii** et **Catulli** lectionem declarat. Invenitur in Satira VI v. 7 sq.: „. . . Haud similis tibi, Cynthia, nec tibi, cujus
„Turbavit nitidos exstinctus passer ocellos." Cynthiam enim proprio nomine Hostiam appellatam, cujus amore incensus erat, Propertius carminibus amatoriis immortalem reddidit. Catullus vero carm. III de Lesbia amica, proprie Clodia vocata, quae diu passerem mortuum deflevit: „Passer mortuus est meae puellae
„Passer deliciae meae puellae — o misella passer —
„Tua nunc opera meae puellae
„Flendo turgiduli rubent ocelli."

M. Annaei Senecae controversias quoque Juvenalem bene nosse, testes sunt
Sat. IX v. 3: „. . . solaque libidine fortes"
et ejusd. sat. v. 133: „Qui digito scalpunt uno caput."
quibuscum conferas, quae leguntur in Sen. Contr. lib. I, 62: „numquam nisi in libidine viri"
et ibidem III, 19: „Fasciola qui crura liget, digito caput uno
„Scalpit, quid credas hunc sibi velle virum?"
Cum autem Juvenalis in Sat. I v. 49 dicit „et fruitur dis iratis," memor fuisse videtur verborum Junonis in Hercule Furenti, quae fabula L. Annaei Senecae nomen fert:
„superat et crescit malis iraque nostra fruitur."
Conferas quoque Sat. X v. 25 sqq.: „. . . . Sed nulla aconita bibuntur
„Fictilibus; tunc illa time cum pocula sumes
„Gemmata et lato Setinum ardebit in auro."
cum verbis in Senecae Thyeste act. III sc. 1: „Humi jacentem scelera non intrant casam,
„Tutusque mensa capitur angusta cibus,
„Venenum in auro bibitur."
Denique supersunt loci, qui ad **Lucani** et **Martialis**, Juvenalis aequalium, scripta referendi sunt.
Sat. VI v. 316: „. . . crinemque rotant ululantque Priapi — Maenades."
Juvenalis alludit sine dubio ad Lucani Phars. lib. I versum 566 sq.:

„. . . . crinemque rotantes
„Sanguineum populis ulularunt tristia Galli."

Quae leguntur Sat. V v. 147 sq.: „Boletus domino, sed quales Claudius edit,
„Ante illum uxoris, post quem nil amplius edit.",

pertinent ad Mart. lib. I c. 21: „Dic mihi quis furor est? Turba spectante vocata
„Solus boletos, Caeciliane, voras.
„Quid dignum tanto tibi ventre gulaque precabor?
„Boletum qualem Claudius edit edas.

His locis allatis, qui satis superque declarant Juvenalem multa et optimorum quidem scriptorum lectione mentem formasse, pergamus jam exponere, quomodo juvenes illius aetatis instituti sint. Qui igitur grammaticorum scholas egressi erant, in rhetorum disciplinam se tradentes artem dicendi colebant, quae apud Romanos fons quasi et caput omnis eruditionis dudum fuerat. Notum est in libera republica non solum eum ad summos honores provectum esse, qui manu forti et arte militari excellebat, sed etiam eum, qui dicendi facultate florebat. Itaque Cicero non ita pulchro versu sed verissime cecinit (Off. I, 22). „Cedant arma togae, concedat laurea laudi", nec minus recte Aper in Dial. de orat. c. 5 eloquentiam vocat studium „quo non aliud in civitate Romana vel ad utilitatem fructuosius vel ad dignitatem amplius vel ad urbis famam pulchrius vel ad totius imperii atque omnium gentium notitiam illustrius excogitari potest." Veteres autem non in rhetorum scholis declamabant, sed juvenis qui foro et eloquentiae parabatur, imbutus jam domestica disciplina, refertus honestis studiis a patre ad eum oratorem deducebatur, qui principem in civitate locum obtinebat. Hunc sectabatur hunc prosequebatur huius dictionibus in judiciis et in contionibus intererat ita ut vera statim et incorrupta eloquentia imbueretur magnumque fructum caperet ad eam sive in judiciis sive in contionibus ipse exercendam. (Auct. dial. c. 34. Vide de Cicerone L. Aelii discipulo Brut. c. 56 et praeceptore Coelii Pansae Hirtii Cassii Dolabellae Quint. inst. XII c. 11.) Illo igitur tempore rhetores, qui Romae jam extremis L. Crassi temporibus latine dicendi praeceptores gravissimis tamen viris improbantibus exstiterunt, oratorum splendore obruebantur. Cum autem re publica bellis civilibus eversa omnis potestas ad Augustum conferretur, eloquentiae quoque condicio mutata est, nam publica negotia jam intra parietes curiae continebantur et in foro, ubi ad id tempus oratores cum libero populo de summa rerum egerant, modo causidicorum et litigantium altercationes audiebantur. Quamquam autem oratores sub Caesaribus nullam vim ad ipsam rem publicam gerendam habebant et modo causas publicas in curia, in quibus dicendis qui periculum suscipere nolebant, ab antiqua libertate recedere debebant, et privatas in foro agebant, tamen etiam tunc ars dicendi eloquentissimo cuique fructuosissima erat viamque ad summos honores muniebat, qua de causa totius eruditionis caput manebat. Jam undique ad rhetorum, quorum numerus et auctoritas in dies augebatur, scholas fiebat concursus et acerrima studia artis oratoriae exardescebant, nam quicunque majora appetebat, ad aliquam dicendi facultatem pervenire studebat. Ex dicendi exercitationibus autem in rhetorum scholis discipuli si non nullam minimam utilitatem ad vitae usum capiebant, cum rhetores plerumque omni juris disciplina carerent et quae argumenta fingebant ad rem publicam magis quam ad judicia pertinerent. Erat autem hic disciplinae ordo, ut initium esset ab historia et narrationes stilo quanta maxima posset diligentia componerentur. Narrationibus subjungebatur opus destruendi confirmandique eas, quod ἀνασκευή et κατασκευή vocabatur; inde paullatim ad majora tendebatur, laudandos claros viros et vituperandos improbos et comparandos uter melior uterve deterior. Deinde communes loci tractabantur, denique theses, quae ex rerum comparatione sumebantur, discentibus proponi solebant. (Quint. II, 4.) Qui his operibus bene instituti et satis exercitati erant, suasorias et controversias, fictas ad imitationem fori consiliorumque materias, aggrediebantur, ex quibus suasoriae tamquam leviores et minus prudentiae egen-

tes, pueris delegabantur, controversiae robustioribus assignabantur. (Auct. Dial. c. 35.) Sed cum declamationum materiae (vide quas affert Seneca in Suas. et Controv. libris), praeceptoribus ut jam supra diximus legum peritia carentibus, plerumque a veritate abhorrerent talesque essent quales in foro vel raro vel numquam agebantur, rhetores re vera scholae non vitae docebant. Huc accedit quod mutata civitatis condicione etiam in arte dicendi maximae mutationes factae sunt. Ac primum quidem Cassius Severus vidit cum condicione temporum et diversitate aurium etiam formam et speciem orationis mutandam esse itaque non inscitia literarum nec infirmitate ingenii, sed judicio et intellectu, ut auctor dial. c. 9 ait, ab illa vetere atque directa dicendi via flexit. Populus enim cum antiquis juribus expulsus rei publicae administrandae jam non particeps esset et paullatim in desidiam segnitiemque conversus parvas illas causas, quae sub Caesaribus in foro agebantur, nihil curaret, magis magisque in judiciis adesse desistebat. Oratores igitur gravitatem, qua quidem plurimae causae carebant, condita dictione compensare studebant, ne sibi accideret quod Vibio Crispo Passieno (Sen. Exc. Contr. III), quem cum coepisset dicere post exordium statim auditores reliquerunt ad epilogum reversuri. Jam enim non longa principiorum praeparatio et narrationis alte repetita series et multarum divisionum ostentatio et mille argumentorum gradus in honore erant, sed pervulgatis his omnibus, cum vix quisquam assistentium elementis studiorum non imbutus esset, oratori qui fastidium aurium effugere volebat, novis et exquisitis eloquentiae itineribus opus erat. (Dial. c. 19.) Hanc autem novam viam ac rationem orandi primus Cassius Severus iniit, qui sub Augusto facundiae laude floruit, nam ut Quintilianus (X, I, 117) dicit, et ingenii plurimum in eo erat et acerbitas mira et urbanitas ejus summa. Sed cum sequerentur, qui Cassio Severo et varietate eruditionis et lepore urbanitatis et ipsarum virium robore multum cederent ita ut illi comparati vix oratores vocari possent, eloquentia mox in peius mutata est. Jam enim oratores novis dicendi artibus, quarum perfugio Cassius, quo erat judicio et intellectu, sapienter usus erat, intemperanter abutebantur atque cultu ornatuque et decore ex novorum poëtarum sacrario prolato alius alium superare studebant. Nimirum tali affectatione omnis venustas ablata est, nam orationis lumina quae non flammae sed scintillis inter fumum emicantibus similia esse debent, ne apparent quidem, ubi tota oratio lucet. Atque Quintilianus quidem, cuius auctoritas apud suos non sane exigua erat, vidit eloquentiam quam erat viam ingressa, praecipitem ire, attamen interitum amovere non potuit, praesertim cum L. Annaeus Seneca, vir praestantissimo ingenio praeditus, etiam aetatis rationi voluntatique indulsisset et orationes auribus aequalium accommodatas composuisset. Quamvis igitur intelligentes dicendi magistri non desisterent Ciceronem ut eloquentiae Latinae principem atque unicum apud Romanos specimen orandi proponere, oratores tamen novo dicendi itinere non labebantur, quin etiam cum viderent suam eloquentiam tempore suo majorem vim habere, quam quae ad Ciceronem formata esset — cujus rei testis est ille Vibius Crispus Passienus — se Cicerone disertiores fateri non dubitabant. (Cf. Juv. Sat. VII v. 213: „Rufum, qui toties Ciceronem Allobroga dixit.") Quae cum ita sint, quis mirabitur, quod mutata eloquentia forensi doctrina quoque in rhetorum scholis mutata est? Nam novum dicendi genus judiciis illius temporis solum aptum, quo jam carere non poterant, qui in causis agendis operam perdere nolebant, ut ratione discipulos docerent, rhetores necessario cogebantur. Magistri enim nequaquam bona erant condicione; parvae rhetoribus operae mercedes dabantur, minores grammaticis, ita ut, si Juvenalis verbis utimur, „nulla res minoris patri constaret, quam filius" (VII, 187). Idem in Sat. VII v. 215 sqq. de grammatico:

„Quis gremio Celadi doctique Palaemonis affert,
„Quantum grammaticus meruit labor? et tamen ex hoc
„Quodcunque est (minus est autem quam rhetoris aera)
„Discipuli custos praemordet acoenonoetus;
„Et qui dispensat, frangat sibi." et de rhetore, quem omnia etiam levissima

scire parentes volebant v. 242 sq.: „Haec, inquit, cura: sed cum se verterit annus,
„Accipe, victori populus quod postulat, aurum.“
Sed si forte credas satirarum scriptorem veritatis fidem non satis servare, adest Seneca, in cujus Contr. 20 sub fin. legitur: „Dixit Haterius quibusdam querentibus pusillas mercedes eum accepisse, cum duas res doceret, numquam magnas mercedes accepisse eos, qui ἑρμηνεύματα docerent.“ Quamvis autem parvum esset doctrinae pretium, attamen ad id accipiendum haud raro tribuni cognitione opus erat (Sat. VII, 227). Rhetores igitur, cum docendo artem dicendi vitam sustentarent, habebant cur et parentum et discipulorum benevolentiam sibi colligerent (Sat. VII, 165). Quo factum est, ut declamationes, quae sub extremum Augusti imperium admisso populo ostentationis causa haberi coeptae sunt, denique modo discipulorum gloriae avaritiae explendae essent, quippe qui sententiis cumulatis, novitate figurarum rhetoricarum, adhibito poëtico decore clamores venarentur. Nec minus recitationes ab Asinio Pollione, qui primus omnium Romanorum advocatis hominibus scripta sua recitavit, conditae ambitiosis ad subitam gloriam adipiscendam idoneae videbantur. Itaque tota dicendi ratio commutata et depravata est, quod cum neminem fallere posset, omnes excepto Quintiliano, qui veram corruptae eloquentiae causam perspiceret, rhetorum scholas acerbissime reprehenderunt. Sic Juvenalis quoque multis locis praesertim in satira septima rhetores acerbis facetiis irridet, ut v. 150 sq.: „Declamare doces? o ferrea pectora Vetti,
„Cui perimit saevos classis numerosa tyrannos.“, deinde difficilem proponens declamationis materiam Sat. VI v. 280: „Dic aliquem, sodes, hic, Quintiliane, colorem!“ (Vide Sat. I v. 16. X v. 84. 166), cum ipse rhetoricam disciplinam dissimulare non possit. Totam vero Juvenalis elocutionem ad oratorium aetatis suae usum conformatam esse, nescio an melius cognosci possit quam ex usu figurarum oratoriarum. Itaque de his agamus. Et cum satis videantur, quae Quintilianus (lib. IX, c. 2. 3.) de figuris disputavit, statim ad propositum accedamus.

I. Figurae verborum.

Ellipsis.

Ellipsis frequentissima est in Juvenalis satiris, praesertim verbi substantivi, quod, si recte numeravimus, omnino centies nonagies omittitur. Variae autem hujus verbi formae supplendae sunt. Ut nonnulla exempla afferamus, deest: sum II, 22. es II, 37. VIII, 27. 53. XIII, 141. XIV, 275. est I, 56. 113. 129. 134. 142 a. l. sumus XIII, 142. estis VIII, 44. sunt II, 4. 19. 119. sitis XIV, 46. erat VII, 96. 199. erant VIII, 104. X, 90. esset XIV, 312. essemus VI, 638. ero I, 1. erit VII, 99. erunt IX, 67. fuit X, 248. XV, 94. Non sine aliqua vi verbi substantivi ellipsis adhibetur in sententiis ut II, 8: „Frontis nulla fides.“ II, 47. IV, 8. et in interrogationibus oratoriis, ut I, 1: „Semper ego auditor tantum?“ I, 87. I, 92. 31. III, 61. 93. IV, 69, 84. Deinde verba dicendi quoque apud nostrum haud raro omittuntur, quod cum in pedestri quoque sermone pervulgatum sit, satis est hos locos afferre II, 165: „Quid enim falsi Laronia?“ sc. dixerat. Simili modo omissum habes: dicam IV, 11. loquitur XIII, 91. dicere V, 107. loquuntur VI, 87. XI, 5. loqueris VI, 193. loquitur X, 256. dicta sunt VIII, 71. dixit XV, 24. Sed haec omnia quamquam leviora sunt, vides tamen brevitatis studium. Quod multo magis apparet, si poëta in uberrima rerum copia commotum animum incitato orationis cursu testificaturus lectori nonnulla supplenda relinquit. Itaque graviora audet, ut si indignatus facinus Pontiae, quae pueros suos veneno interceperat, exclamat VI, 641: „Tune duos una, saevissima vipera, coena?“ sc. necasti, aut si confirmans quod statuit „miserum esse aliorum incumbere famae“ dicit VIII, 142: „Quo mihi te solitum falsas signare tabellas — In templis?“ ubi fortasse „nobilem praebes“ supplendum est. Adde III, 140: „Protinus ad censum“ sc. fit aestimatio. III, 166: „magno servorum ventres et frugi coenula magno“ sc. pretio constat. III, 250: „Centum convivae“ sc. adsunt, veniunt. III, 309: „Qua fornace graves, qua non incude

catenae“ sc. conficiuntur. IV, 25: „Hoc pretio squamam?“ sc. emisti. Deinde IV, 69: „Quid apertius?“, ubi si apud animum proponis, quae piscator in praecedentibus versibus in Neronis laudem dixit, facile supplebis „ista adulatione est.“ VIII, 208: „Di, majorum umbris tenuem — terram Spirantesque crocos et in urna perpetuum ver“ sc. date. VI, 286: „Unde haec monstra tamen“ sc. profluxerint „requiris?“ Vide praeterea VII, 141. 178. 38. III, 213. V, 25. 56. VI, 69. 381. VII, 184. VIII, 111. X, 71. XIII, 62. 181. XIV, 189. XV, 62. Restat ut pronominis determinativi ellipsin commemoremus, quam Juvenalis aliquoties durius fortasse solito admisit. Atque duo loci memorabilia praebent exempla. I, 161: „accusator erit, qui verbum dixerit,“ quorum verborum sententia tum demum satis bona est, si e pronomine relativo genitivus „ejus“ intelligitur. Similis est alter locus VI, 143: „Nec tamen id vitium magis intolerabile quam (sc. ejus) quae . . . vicinos humiles rapere — solet.“ Denique non praeterenndus est satirae I versus 134: „Cujus ad effigiem non tantum mejere fas est.“ Scilicet supples „sed etiam cacare,“ memor Horatii qui scripsit in Serm. I, 8, 38: „In me veniat mictum atque cacatum.“

Asyndeton.

Mutata sub primis Caesaribus eloquentiae condicione, ut supra exposuimus, oratores operae plurimum studiique in brevitate consumebant, ut quam fervidissima oratione auditores caperent. Ac novum hoc dicendi genus in rhetorum scholis exercitabatur. Cum autem nullus illo tempore scriptor exsisteret, quin arti rhetoricae operam dedisset, scribendi quoque genus eandem viam inisse non mirum videtur. Invenis igitur ut apud omnes scriptores illius aetatis brevitatis studium quoque in Juvenalis satiris, quarum cursus, quamquam poëta nonnumquam hoc sibi indulget, ut sententias variet, semper rapidus est. Maximi autem momenti ad orationem concitandam est ἀσύνδετον, quo saepissime noster, quippe cui ut satirarum scriptori in describendis aequalium moribus vitiisque materia cresceret, usus est. Ac primum quidem conjunctiones copulativae omittuntur, ut III, 76 sq. „Grammaticus rhetor geometres pictor aliptes
„Augur schoenobates medicus magus . . “ I, 85. 75. II, 169. III, 31. 73. VIII, 79 a. l., ubi ἀσύνδετον per singula verba fit. Deinde fit per plura verba, ut III, 73. IX, 12., et per singula enuntiata IV, 5 sq. III, 119 sq. XIV, 60 sqq. XV, 110 sqq. I, 114. II, 26—27. 53. III, 124. 212—14. 244 sq. 279 sq. IV, 65. VI, 64—68. VII, 70 sq. 129. VIII, 64. 190 sq. 217 sqq. Sed haec satis de copulativis. Deinde particulas „nam“ et „enim“, ubi simplex causa significanda erat, Juvenalis saepissime neglexit, ut I, 161 sq.: „Quum veniet contra digito compesce labellum — (sc. nam) Accusator erit, qui verbum dixerit: hic est.“ I, 17. 169. II, 40. 49. III, 41. 51. 53. 113. 143. 243. 299. IV, 53. 70. 140. V, 60. VI, 50. 98. 208. 232. 293. VIII, 40. 114. IX, 19. 130. XI, 35. 182. XIII, 231. XIV, 204. XV, 160. Hanc autem veluti legem poëta sibi scripsisse videtur, ut ante sententias, unde argumenta dictorum repeteret, conjunctionem causalem omitteret. Nec temere, nam sententiae tum maximam probandi vim habent, si nude ponuntur, ut I, 73 sq. II, 45 sq. 82 sq. VII, 143 sqq. IV, 8. V, 140. VIII, 76. 140 sq. XI, 208. XIV, 47. — Post causativas particulas saepissime adversantes omittuntur, ut V, 99 sqq.: „Varroni muraena datur . . . Vos anguilla manet.“ III, 190 sq. 283 sq. V, 36 sq. 43 sq., quibus omnibus locis pronomine ab initio enuntiati posito opposition fortius significatur. Adde I, 165. II, 47. 69. III, 49. 54. 180. 212. IV, 35. V, 56. VI, 94. 100. 324. 362. 404. VII, 75. VIII, 125. X, 22. XIII, 134. XIV, 187. XV, 13. — Denique Juvenalis, quamquam rarius, ellipsin particularum consecutivarum admisit, ut XIII, 227: „Illa nihil nocuit, cura graviore timetur Proxima tempestas.“ XIV, 303 sq. I, 170 sq. III, 41. 197. 312. VI, 76. VIII, 121. IX, 97. 118. XII, 128.

Polysyndeton.

Haec figura contraria est ἀσυνδέτῳ. In Juvenalis vero satiris numquam quantum memini conjunctione copulativa „et“ insigni modo repetita efficitur. Inveniuntur autem loci, ubi conjunc-

tiones conditionales temporales aliae geminantur, quamquam satis erat singula enuntiata copulativa „et“ conjungere. Quo efficitur, ut suam quodque gravitatem habeat. Sic repetitur „si“ III, 107: „Si bene ructavit, si rectum minxit amicus, — Si . . . . . “ II, 26. 28. III, 148—150. IV, 52. 53. V, 1. 3. VI, 41. 42. VII, 122. VIII, 9. 10. 11. 14. 14. 16. a. l. quum VI, 303. I, 21. 24. 24. 25. 25 — 32. 37. — 55. 58. VI, 2. 5. — 31. 32. — 458. VII, 3. 6. X, 252. 3. XIV, 136. dum III, 26. 27. V, 100. 101. IX, 128. XI, 5. 6. quando I, 87. cur II, 58. postquam XII, 62. ut X, 24. VII, 230. 231. 232. VII, 237. 8. III, 184. 185. ne VII, 239. 240. XIV, 64. 66.

Anaphora.

ἀναφορᾶς, quae est ejusdem verbi in principiis repetitio, permulta apud Juvenalem sunt exempla; haec figura commoti animi est et magnam vim habet in ornandis argumentis gravioribus et in amplificando. Ac noster quidem non solum particulas vel pronomina, quod genus in vulgari quoque sermone tritum est, sed etiam nomina verba adverbia conjunctiones duplicare solet. Atque inveniuntur ἀναφορᾶς exempla, nonnumquam cum figura πολυπτώτου consociata et intra ejusdem et duorum pluriumve versuum fines, quod nimirum permultum ad eorum vim augendam vel minuendam valet. Ut nonnulla exempla afferamus, ἀναφορὰν habes ab initio duorum pluriumve versuum XIV, 208. 9. X, 220. 1. a. l., in finibus duorum versuum XIII, 33. 34., in principio et in fine ejusdem versus I, 15. II, 127. XIV, 239., in alterius versus fine et in alterius principio XIII, 144 sq., in ineunte et medio versu I, 94. a. l., in medio priore et ab initio posterioris versus VI, 275. II, 153. 4. a. l. ἀναφορᾶς exemplum maxime memorabile est in Sat. VII, v. 229 sqq.:

„. . . Sed vos saevas imponite leges,
„Ut praeceptori verborum regula constet,
„Ut legat historias, auctores noverit omnes
„Tamquam ungues digitosque suos; ut forte rogatus
„Dum petit aut thermas aut Phoebi balnea, dicat
„Nutricem Anchisae, nomen patriamque novercae
„Anchemoli; dicat, quot Acestes vixerit annis,
„Quot Siculi Phrygibus vini donaverit urnas.
„Exigite, ut mores teneros ceu pollice ducat,
„Ut si quis cera vultum facit; exigite, ut sit
„Et pater ipsius coetus, ne turpia ludant,
„Ne faciant vicibus.“

Epiphora.

Inter hanc et superiorem figuram hoc interest, quod in superiore plures sententiae ab iisdem verbis acriter et instanter incipiunt, in hac autem in iisdem desinunt. Ut illa sic haec quoque magnam vim habet in augendo et exaggerando. Apud Juvenalem ter invenitur hisce locis II, 53: „Luctantur paucae, comedunt colyphia paucae. VI, 481, qui locus aliquam ἀναφορᾶς similitudinem praebet, cum repetitae clausulae ab initiis duorum versuum positae sint. Tertius denique locus est in Sat. V, v. 147 sq. Συμπλοκὴν autem, quae figura quasi ex duabus superioribus componitur ita ut plures sententiae ab iisdem verbis incipiant et in iisdem desinant, ne semel quidem, quantum memini, Juvenalis admisit.

Epanalepsis.

Efficitur haec figura, si idem verbum simplex enuntiatum ab utraque parte circumtexit vel si bipartita sententia ab eodem incipit et in eodem desinit. Prioris generis duo invenimus exempla, quorum alterum in Sat. III, v. 166. simul cum figura ἀναφορᾶς conjunctum est:

„. . . . magno hospitium miserabile, magno
„Servorum ventres et frugi coenula magno. Vide II, 81. Alterum genus

habes VI, 457: „Nil non permittit mulier tibi, turpe putat nil.“ III, 208. VII, 74. V, 14. X, 205. IV, 27.

Anadiplosis.

Ἀναδίπλωσις est, cum ea quae in superiore membro postrema ponuntur, in posteriore prima repetuntur. Haec figura apud Juvenalem invenitur in nominibus verbis adverbiis, ac saepe quidem cum figura πολυπτώτου conjuncta est. III, 66: „Attendit Thymele, Thymele tunc rustica discit.“ VI, 213: „Hac obstante nihil, nihil haec si nolet emetur.“ Adde VI, 612. VIII, 188. XI, 176. XIV, 139. XI, 112. III, 158. III, 146. VI, 15. VIII, 192. XI, 148. XIV, 176.

Epizeuxis.

Huius figurae, quae verbum repetit cum vi et ad sententias confirmandas aptissima est, frequens apud Juvenalem est. Obtinet autem ἐπίζευξις, si nullis interjectis verbis usurpatur, plerumque finem praecedentis et initium sequentis versus, ut II, 135: „Liceat modo vivere: fient, — „Fient ista palam cupient et in acta referri.“ Cf. V, 112. VI, 166. VI, 279. VIII, 147. Ab initio versus invenitur IX, 102: „O Corydon, Corydon . .“, ubi irridendae stultitiae inservit. — Nec minor ἐπιζεύξεως vis est, si inter verba geminata alia interjecta sunt ita tamen, ut simplex sit enuntiatum; nam ea exempla, quae bipartitam praebent sententiam, ἀναφορᾷ tribuenda sunt. Atque duo huiusmodi exempla invenimus, ubi verbum quod ab initio versus est, post caesuram in tertio pede repetitur VI, 393. 395; deinde habes ἐπίζευξιν ab initiis duorum versuum VI, 641 sq. VII, 213. 214., denique in medio praecedenti et ab initio sequentis versus hisce locis IX, 67. X, 315. VI, 34. 5. VIII, 171. 2. IX, 82. XIV, 45.

Πολύπτωτον. Παρηγμένον.

Prioris figurae quae efficitur, si verbum saepius ab initio positum declinationibus casuum aut generibus aut numeris immutatur, nonnulla haud ita insignia exempla apud Juvenalem invenis, ut VI, 569 sq.

„Haec tamen ignorat, quid sidus triste minetur
„Saturni, quo laeta Venus se proferat astro,
„Qui mensis damnis, quae dentur tempora lucro . .“ II, 18. III, 312. 22. 197. V, 114. 136. VI, 383. His adde duos locos X, 177 et III, 146, ubi haec figura ad ἀναδίπλωσιν proxime accedit. — Παρηγμένον ter habet Juvenalis hisce locis III, 312: „proavorum atavos,“ VI, 347: „Sed quis custodiet ipsos — Custodes.“ IV, 25: „Potuit fortasse minoris — Piscator quam piscis emi.“

Ὁμοιοτέλευτον.

Ὁμοιοτέλευτον est, cum syllabis iisdem in ultimam partem collocatis similis duarum sententiarum vel plurium finis fit, ut in exemplo quo Quintilianus utitur: „Non modo ad salutem ejus exstinguendam sed etiam gloriam per tales viros infringendam.“ Inveniuntur quidem hujus figurae exempla apud Juvenalem, ut VI, 627: „nemo repugnet, nemo vetet.“ III, 300. III, 262; sed rariora sunt. Quod minime mirum, cum poëtam, ne hac figura eodem modo quo oratores uteretur, versus impediret. Nequaquam autem Juvenalem similem verborum sonitum fugisse, immo vero eo delectatum esse, permultis ex locis cognoscitur. Solet igitur nomina substantiva et adjectiva inter se conjuncta ita ponere, ut alterum in fine versus sit, alterum ante caesuram in tertio pede, quo fit, ut eorum syllabae extremae similiter cadentes magis emineant ut XIII, 134: „lacrimis amissa pecunia veris.“ II, 12. 125. I, 5. 28. 36. 62. 124. 157 a. l. Deinde frequentia sunt talia I, 148: „eadem facient cupientque minores.“ II, 56: „melius, levius.“ V, 49: „vinoque ciboque.“ VI, 3: „ignemque laremque.“ X, 344. 152. XV, 145. XI, 63. XIV, 31. Denique non praetereundi sunt loci, ubi duo vel plura verba similiter cadunt ut III, 240: „. . . curret super ora Liburno — Atque obiter leget aut scribet aut dormiet intus.“ VI, 496. V, 143. II, 136. X, 29 sq. X, 316. I, 161. IX, 69.

Inversio.

Efficit haec figura, quae verborum collocatione continetur, ut verba quaedam insigniora fiant. Quatuor exempla digna videntur quae afferantur I, 145:

„Et nova nec tristis per cunctas fabula coenas
„Ducitur iratis plaudendum funus amicis.“ Vide I, 39. II, 102. VIII, 198.

Parenthesis.

Efficitur cum in continenti sententia aliquid interponitur, quod sive causam sive parvum momentum continet. Pro versuum numero apud Juvenalem haud ita frequens est. Plerumque autem, cum παρένθεσιν adhibet ea quae dicta sunt argumento confirmaturus, interrogatione utitur, ut I, 46 sqq., ubi verbis interpositis causam affert, cur judicium „inane“ dicat; X, 298 sqq., ubi affert, cur naturam „benignam larga manu“ vocet, quippe quae plus tribuere non possit quam „castum ingenium vultumque modesto sanguine ferventem.“ Adde IX, 24. XIII, 176. IX, 58. VI, 151. III, 15. 182.

Isocolon.

Ἰσοκώλου, quod est cum membra aequalia — πάρισον vocant, cum verba membrorum non paria sunt numero, sed unum vel alterum in superiore membro aut in postremo additur — componuntur, frequens apud Juvenalem usus est. Ac saepissime quidem cum figura ἀναφορᾶς conjunctum est. Memorabile exemplum habes VII, 197—8: „Si Fortuna volet, fies de rhetore consul,
„Si volet haec eadem, fies de consule rhetor.“ Vide VII, 184 sq. VI, 627. III, 214. I, 51 sq. II, 3. VI, 151. X, 316. I, 35. III, 141. 198. 245. 310 sq. IV, 56 sq. 101. VI, 412. 458. 610. VIII, 91. XII, 130.

II. Figurae sententiarum.

C. Fr. Hermannus in iis, quae Juvenalis satirarum editioni praefatus est, jure dicit „rhetoricam hominis disciplinam imprimis etiam hoc artificio censeri, quod pleraeque satirae in summa libertatis specie ad certae dispositionis formam partesque numero definitas descriptae sint, quarum accurata observatione, etiam ubi longissime exspatiari videatur, tamen semper velut sponte sua in viam redeat neque umquam tam licenter excurrat, ut non omnia aequabili inter se tenore jungantur.“ Atque oeconomiam satirarum, argumenta singularum persecutus, vir doctissimus perspicuam fecit, quae ut mihi quidem videtur apertissima est in satira VII, ubi Juvenalis imperatoris honorem praefatus condicionem poëtarum historicorum causidicorum rhetorum grammaticorum describit. Id igitur certum est Juvenalem diligentia, quam in distribuendis satiris adhibuit, in rhetorum scholis assnevisse. Quid? Quod nonnumquam ipsas figuras oratoribus in causis dicendis usitatas admisit? Sic adhibet „Propositionem,“ ut I, 19 sqq. IV, 11. „Occupationem“ plane ad oratorium usum conformatam I, 150: „Dicas hic forsitan: Unde — Ingenium par materiae?“ et VIII, 163, ubi etiam exemplum „Concessionis“ habes, quae est, cum aliquid concedimus, ut reliqua graviora fiant: „Defensor culpae dicet mihi: „„Fecimus et nos
„Haec juvenes.““ — Esto; desisti nempe, nec ultra
„Fovisti errorem. — Denique „Praeteritionem“, quae est cum maxime sed breviter dicimus, quae nos non dicturos simulamus, invenis VI, 602 sqq.: „Transeo suppositos et gaudia vitaque“ et quae sq. et X, 273 sq.: „Festino ad nostros et regem transeo Ponti — Et Croesum, quem . . . . “

Interrogatio.

Interrogatio oratoria, quam dicimus, Juvenali frequentissima est, nam omnino ea, si non totos locos sed singulas sententias computaveris, fere trecenties nonagies usus est. Quod minime mirum, cum interrogatio quamvis vulgaris figura tamen ad affectus exprimendos et orationem vividam reddendam multum valeat. In initiis vero satirarum, ubi imprimis animus concitatus apparet, ejus usus rarus est (vid. sat. I. VIII. XV); sed hic quo graviora sint initia, percontationes per sex (sat. I.) atque adeo per duodeviginti versus (sat. VIII.) cumulare non dubitat. Interrogatio autem inservit indignationi, ut ab initio satirae I a. l., deinde arguendi gratia cum particulis causativis „nam“ et „enim“ conjuncta adhibetur. Sic invenis: quis enim II, 8. III, 208. IV, 46. 101. V, 163. namquis I, 30. IX, 58. quid enim I, 48. II, 65. VI, 300. 568. namquid III, 6. 291. Proxime autem ad oratorium usum interrogationes accedunt, si pronomen „quid“ enuntiato praeponitur, ut VI, 45. VIII, 183. II, 75. X, 36. 183. Denique hic afferamus locos, ubi poëta se ipsum interrogat et sibi respondet, ut VIII, 39. VI, 136. II, 155. V, 24. VI, 142. VIII, 179 sq. X, 185 a. l.

Exclamatio.

Hac figura, quae augendis affectibus accommodata est, Juvenalis modice usus est. Adhibet eam, ut indignationem exprimat VI, 317. I, 91. 140., deinde optans ut vitia quae insectatus sit finxerit VI, 638., tum dolore et vero quidem commotus II, 159. Sed plerumque exclamatio ad irrisionem pertinet ut VI, 255. XV, 9 sq. X, 157 sqq., ubi poëta in nomine subsistit neque sententiam explet. (Cf. VI, 47. XIII, 140.) Denique afferenda sunt exempla, quae speciem quidem exclamationis praebent, re vera autem allocutiones sunt, sed fortiores, cum interjectione „o“ conjunctae sint. Talia habes II, 121. 126. V, 136. VI, 46. IX, 102. IX, 137. Hi fere omnes loci sunt, in quibus exempla exclamationis exstant, praetermissis sane iis, ubi poëta aliquem exclamantem inducit, ut X, 84. II, 38 sqq.

Sermocinatio.

Praecipuam Juvenalis artem in eo quoque consistere, quod satiris eam, quam haec amat poësis, dramaticam formam accommodaverit, nemo negabit. Studium vero rerum semper sic ex ponendarum quasi agantur nescio an maxime appareat ex frequenti sermocinationis usu, quae figura est, cum personae certae vel incertae loquentes inducuntur. Ac primum quidem inveniuntur loci, ubi verbo aliquo indicatur certam personam loqui. Sic adhibentur „inquit, inquis, ait, clamat, exclamat“ alia verba. Multo autem insigniores sunt loci, ubi persona loquitur omissa tamen quo id indicetur verbo. Quid? quod poëta hoc lectori permittit, ut cui personae verba tribuenda sint, ex ipsis colligat. Sic loquentes inducit nobiles sportulam poscentes I, 101., Creticum se excusautem quod multiciis indutus sit II, 70 sq., divitem divitis clientis gratiam quaerentem V, 135 sq., pauperem reliquias ferculorum domini exspectantem V, 166 sqq., feminam ancillae imperantem VI, 329., dominam servam increpantem VI, 492., denique cinaedum avarum clienti exprobrantem, quae dederit IX, 39. Deinde poëta incertas personas sibi obloquentes fingit VII, 188. X, 324. 346. XIII, 174. 180. VII, 105., qui loci, cum poëta statim objectionibus respondeat, proxime ad occupationem accedunt. Sed omnium maxime memorabilia sermocinationis exempla sunt, quae dialogi forma induta sunt. Atque ipse poëta se sermocinantem fingit duobus locis, altero I, 150—71 cum monente quodamne in viros potentes et imperatoribus gratos invehatur, altero VI, 638 cum Pontia. Denique inveniuntur loci, ubi poëta, ipse dialogi non particeps, duas personas colloquentes inducit. Sic habes dialogum inter uxorem et maritum VI, 219 sqq., inter amicos duos de marium nuptiis celebrandis II, 132—34., inter imperatorem et piscatorem de rhombo IV, 124—35., inter dispensatorem et convivam V, 74—79., inter magistrum et discipulum VII, 158—166., denique inter quosdam e plebe de morte Sejani colloquentes X, 67—72. 81—88.

Allocutio.

Huius figurae facilitas apud Juvenalem magna est. Ac primum quidem se ad satiras scribendas adhortans ipsum alloquitur Sat. I, v. 149: „Utere velis — Totos pande sinus.“ Deinde eum appellat, ad quem satira missa videtur, ut Sat. VI, 21 Postumum, VIII, 1. Ponticum (vide XI, 57. XII, 1. 93. XIII, 5. 33. XIV, 1. XV, 1), quae satirae omnes epistolae formam induerunt. Nona vero tota dialogus est inter Juvenalem et Naevolum. Tum alloquitur poëta quamvis paucis

verbis eos, de quibus dicit, ut II, 66. 77. IV, 24. VII, 25. 98. VIII, 95. 181. 185. VI, 629. VII, 20. et mortuos ut praesentes excitat. (IV, 102. VI, 124. 167. VIII, 26. 39. 56. 231. XIV, 319. X, 166.) Deos denique invocat hisce locis II, 126. 128. IV, 34. 124. VI, 393. VII, 207. XIII, 81. Iis vero locis, ubi poëta mutas res alloquitur, προσωποποιΐας initia habes, quae rei vita carenti vitam et orationem tribuit. Sic invocantur pecunia I, 113. nummi V, 136. lex Julia II, 37. Libya provincia V, 119. divina Philippica X, 125. Verae προσωποποιΐας exemplum unum invenimus Sat. IV, 63: „Sed pensio clamat „Posce!“

Sententiae.

Rhetores sententiis orationes exornare studuisse iisque nimium delectatos esse, jam supra diximus. Itaque Quintilianus modicum sententiarum usum commendat, cum necesse sit solas captanti sententias multas dicere leves, frigidas, ineptas; neque enim posse delectum esse, ubi numero laboretur. Ac Juvenalis multas quidem sententias satiris admiscuit, sed ut mihi quidem videtur, vituperationem effugit, cum suo quaeque loco aptissima sit. Locos cunctos, ubi sententiae inveniuntur, hic afferre mihi in animo est, cum pleraeque hodie quoque verissimae sint. Vide igitur I, 74. II, 8. 47. 61. 63. 83. III, 143—144. IV, 8. V, 66. 140. 170. VI, 221. 268—269. 362. 460. VII, 145. VIII, 20. 76. 83—84. 140—141. 165. IX, 32. X, 172—173. 297—298. 328—329. 363—364. XI, 35—36. 208. XIII, 189. 236. XIV, 47. 139. 204. 304. 315. 321.

Incrementum.

Haec figura, quae gravitati servit, efficitur, cum quasi per gradus ab infimo ad summum progredimur. Apud Juvenalem tria exempla inveniuntur in Sat. VI, v. 149—151. v. 189—191. v. 329—334., quorum summum afferre libet.

„ . . . . . . Jam dormit adulter,
„Illa jubet sumpto juvenem properare cucullo;
„Si nihil est, servis incurritur; abstuleris spem
„Servorum, venit et conductus aquarius; hic si
„Quaeritur et desunt homines, mora nulla per ipsam,
„Quominus imposito clunem submittat asello.“

Ἀντίθετα.

ἀντίθετον, quod contrapositum Latini vocant, proprie quidem ad dispositionem pertinet, sed egregie elocutionem exornat. Est autem, cum contraria contrariis opponuntur, quod tribus fit modis. Nam et singula singulis opponuntur, ut II, 23: „Loripedem rectus derideat, Aethiopem albus.“ VII, 201., et bina binis ut XI, 38 sq.: „Quis enim te deficiente crumena — Et crescente gula manet exitus.“ V, 113., et sententiae sententiis, quod genus apud Juvenalem frequentissimum est, praesertim in satira V, ubi de divitum insolentia patronorum et pauperum clientium misera condicione agit. Ac si singulos locos consideraveris, videbis ἀντίθετα, quae Juvenalis non captavit, ad gravitatem plurimum valere. II, 3: „Curios simulant et Bacchanalia vivunt.“ II, 63: „Dat veniam corvis, vexat censura columbas.“ VII, 157: „Nosse velint omnes, mercedem solvere nemo.“ Adde II, 18. 49—50. 53—55. III, 283—288. IV, 13—14. V, 37—39. 49—52. 81—84. 99—103. 146—147. 161—162. VI, 94—101. VIII, 55. 182. 215.

E. Strube.

Jahres-Bericht

von Ostern 1874 bis Ostern 1875.

I. Allgemeine Lehrverfassung.

Lectionsvertheilung während des Winter-Semesters.

	Lehrer.	Prima.	Ober-Secunda.	Unter-Secunda.	Ober-Tertia.	Unter-Tertia.	Quarta.	Quinta.	Sexta.	Stundenzahl.
1.	1. Direktor Dr. Imhof, Ord. I.	8 Latein.								8.
2.	2. Prorektor Nagel, Ord. IIa.	6 Griechisch.	8 Latein. 3 Geschichte.							17.
3.	3. Konrektor Dr. Seyffert, Ord. IIb.	3 Geschichte.		8 Latein. 6 Griechisch.				3 Religion.		20.
4.	4. Subrektor Dr. Döhler, Ord. IIIa.	2 Französ.	2 Französ.	2 Französ.	10 Latein. 3 Geschichte. 2 Französ.					21.
5.	5. Mathematikus Dr. Hutt.	4 Mathem. 2 Physik.	4 Mathem. 1 Physik.	4 Mathem. 1 Physik.	3 Mathem. 2 Mineral.					21.
6.	1. Collaborator I. Gross, Ord. IIIb.		2 Vergil. 6 Griechisch.			8 Latein. 2 Deutsch. 3 Geschichte.				21.
7.	2. Collaborator II. Dr. Brückner, Ord. IV.	3 Deutsch. 2 Hebräisch.					10 Latein. 6 Griechisch.			21.
8.	3. Collaborator III. Dr. Strube, Ord. V.		2 Deutsch.	2 Ovid.	6 Griechisch.			10 Latein. 2 Deutsch.		22.
9.	4. Collaborator IV. Vacat.									
10.	5. Collaborator V. Grupp.			2 Deutsch.	2 Deutsch.	3 Mathemat. 2 Naturg. 2 Ovid. 2 Französ.	3 Mathemat.	3 Rechnen.	3 Rechnen.	22.
11.	6. Wiss. Hülfslehrer und cand. prob. Dr. Scherler.	2 Religion.	2 Religion. 2 Hebräisch. (Ober- und Unter-Secunda)	2 Religion.	2 Religion.	2 Religion.	2 Religion. 2 Deutsch. 2 Französ. 3 Geschichte.	3 Französ.		24.
12.	7. Wiss. Hülfslehrer und cand. prob. Schmidt.			3 Geschichte.		6 Griechisch.			10 Latein. 3 Deutsch.	22.
13.	1. Musikdirektor Dr. Thierfelder.	2 Singen. (Prima bis Unter-Tertia)						2 Singen.	2 Singen.	6.
14.	2. Gymnasial-Elementarlehrer Jahnke.	2 Zeichnen. (Prima bis Unter-Tertia) 2 Turnen. (Prima bis Unter-Secunda)					2 Zeichnen.	2 Geogr. 2 Naturg. 2 Zeichnen. 3 Schreiben.	3 Religion. 2 Geogr. 2 Naturg. 2 Zeichnen. 3 Schreiben.	27.

Absolvierte Unterrichts-Pensa.

Prima.

Religion: S. Lektüre des Johannes-Evangeliums. — W. Kirchengeschichte mit besonderer Berücksichtigung der Reformationszeit.
Deutsch: S. Das Leben und die Schriften Schillers. — W. Aeltere Litteraturgeschichte. Formale Logik.
Lateinisch: S. Tacitus, Annal. I. Horat. Od. I. Plautus, Trinummus. Privatim Livius 36—39. — W. Cicero, de oratore III. Horat. Od. II., ausgewählte Satiren. Privatim Livius 40—45.
Griechisch: S. Platon, Apologie. Demosthenes, Philippica I. und III. Homer, Ilias 16—24. — W. Thukydides III. Sophokles, Aiax. Homer, Ilias 9—11. Privatim das in der Klasse nicht gelesene Pensum der Iliade.
Französisch: S. Molière, le Tartufe. — W. Racine, Britannicus.
Hebräisch: S. 1. Buch der Könige. — W. desgl. Einige Psalmen.
Geschichte: Geschichte des Mittelalters.
Mathematik: S. Progressionen nebst Anwendungen. Neuere Geometrie. — W. Gleichungen. Sphärische Trigonometrie nebst Anwendungen.
Physik: S. Wärmelehre. — W. Meteorologie.

Ober-Secunda.

Religion: S. Neutestamentliche Bibelkunde. — W. Alttestamentliche Bibelkunde.
Deutsch: S. Historische Grammatik und Lektüre der Nibelungen im Grundtexte. W. Uebersicht über die alte Litteratur und Lektüre der Gudrun im Grundtexte.
Lateinisch: S. Cicero, de imperio Cn. Pompei. Auswahl aus Livius XXII. Vergil. Aen. I. Privatim Cicero, pro Roscio Amerino. — W. Cicero, divinatio in Q. Caecil. Auswahl aus Livius XXII. Vergil. Aen. II. III. Privatim Cicero, pro Ligario und pro Deiotaro.
Griechisch: S. Lysias, in Agorat. Auswahl aus Herodot IV. und V. Homer, Ilias 3—6, 7 privatim. — W. Plutarch, Themist. u. Cam., Auswahl aus Herodot VI. und VII. Hom. Ilias 1—4, 8 privatim.
Französisch: Capefigue, Histoire de Charlemagne.
Hebräisch: Nach dem Grundlehrplan.
Geschichte: Römische Geschichte und Geographie von Alt-Italien.
Mathematik: S. Trigonometrie. — W. Gleichungen. Geometrische Uebungen.
Physik: S. Mechanik der tropfbar- und gasförmig-flüssigen Körper. — W. Elektricität und Magnetismus.

Unter-Secunda.

Religion: S. Lektüre der Apostelgeschichte. — W. Lektüre des Lucas-Evangeliums.
Deutsch: S. Lektüre von Schillers Jungfrau von Orleans und Wallenstein. — W. Lektüre von Göthes Hermann und Dorothea und von Schillers Glocke.
Lateinisch: S. Cicero, pro Archia p. Sallust, bell. Catilin. Ovid. Tristia mit Auswahl. Privatim Cicero, pro rege Deiotaro. — W. Cicero, in Catilin. III. IV. Einiges aus Livius. Ovid. Fasti mit Auswahl. Privatim Cicero, in Catil. I. II.
Griechisch: S. Xenophon, Anabasis VI. VII. Homer, Odyssee 13—18, zum Theil privatim. — W. Xenophon, Hellen. II, 3. III. Homer, Odyssee 19—24, zum Theil privatim.
Französisch: S. Scribe, verre d'eau. — W. Paganel, Histoire de Frédéric le Grand.
Hebräisch: mit IIa. combiniert.
Geschichte: Griechische Geschichte und Geographie von Alt-Griechenland.
Mathematik: S. Die Lehre von der Gleichheit. Logarithmen. — W. Aehnlichkeitslehre. Algebraische Uebungen. Gleichungen 1. Gr.
Physik: S. Grundbegriffe der Physik und Chemie. — W. Mechanik der festen Körper.

Ober-Tertia.

Religion: S. Geschichte des neuen Bundes: Leben Jesu. — W. Geschichte der apostolischen Zeit. Kurze Uebersicht der Reformation.
Deutsch: S. Lektüre aus dem Lesebuche mit Belehrungen über Gegenstände der Rhetorik. — W. desgl. mit Belehrungen über Gegenstände der Poetik.
Lateinisch: S. Caesar, bell. civ. II. Ovid. Met. X. mit Auswahl. Privatim Caesar, bell. Gall. II. W. Curtius, l. VII. Ovid. Met. XI. mit Auswahl. Privatim Caesar, bell. Gall. V. Prosodie, Modus- und Tempuslehre II.
Griechisch: Xenophon, Anabasis V. und VI. Einführung in die Lektüre Homers. Unregelmässige Verba.
Französisch: Lektüre des Charles XII. Grammatik nach dem Grundlehrplan.
Geschichte: Brandenburgisch-Preussische Geschichte. Geographie und Statistik von Preussen.
Mathematik: S. Die Lehre vom Kreise. — W. Die Lehre von den Potenzen und Wurzeln.
Naturkunde: S. Botanik (Anatomie). — W. Mineralogie.

Unter-Tertia.

Religion: S. Erklärung des 4. und 5. Hauptstücks. — W. Geschichte des Volkes Israel bis zur Eroberung Palaestinas durch die Römer.
Deutsch: Lektüre und Memorieren von Gedichten, vorzugsweise von Balladen, nach dem Grundlehrplan.
Lateinisch: S. Caesar, bell. Gall. III. und IV., Ovid. Metam II. mit Auswahl. — W. Caesar, bell. Gall. V. und VI., Ovid. Metam. III. mit Auswahl. Prosodie, Modus- und Tempuslehre I.
Griechisch: Lektüre des Lesebuchs, verba liquida, contracta und auf $\mu\iota$.
Französisch: Plötz, Schulgrammatik § 1—36.
Geschichte: Deutsche Geschichte bis zum westphälischen Frieden. Geographie und Statistik des ausserpreussischen Deutschlands.
Mathematik: S. Buchstabenrechnung. — W. Lehre von Dreiecken und Vierecken.
Naturkunde: S. Botanik (Morphologie). — W. Zoologie.

Quarta.

Religion: S. Besprechung der Gleichnisse und einiger Reden Christi. Erklärung des 3. Hauptstücks. W. Geographie von Palaestina. Die Eintheilung des Kirchenjahrs. Memorieren des 4. und 5. Hauptstücks.
Deutsch: Lektüre und Memorieren aus dem Lesebuche, Abschluss der Satzlehre, Fremdwörter.
Lateinisch: Cornel. Nepos, ausgew. Biographien. Casuslehre.
Griechisch: Formenlehre incl. des Verbum mutum. Lektüre aus dem Lesebuche.
Französisch: Plötz, Elementargrammatik § 40 bis zu Ende.
Geschichte und Geographie: Das Wichtigste aus der griechischen und römischen Geschichte. Allgemeine Geographie Deutschlands.
Mathematik: S. Rechnung mit Decimalzahlen. — W. Einführung in die Planimetrie bis zur Lehre vom Dreiecke.

Quinta.

Religion: Biblische Geschichten aus dem neuen Testamente. Erklärung des 2., Memorieren des 3. Hauptstücks.
Deutsch: Lektüre und Memorieren aus dem Lesebuche, der zusammengesetzte Satz.
Lateinisch: Die unregelmässige Formenlehre. Lektüre des Lesebuchs.
Französisch: Plötz, Elementargrammatik § 1—40.
Geographie: Die aussereuropäischen Länder.
Rechnen: Bruchrechnung. Regeldetri.
Naturkunde: S. Populäre Botanik. — W. Populäre Zoologie.

Sexta.

Religion: Biblische Geschichten aus dem alten Testamente. Memorieren und Erklärung des 1., Memorieren des 2. Hauptstücks.
Deutsch: Lektüre und Memorieren aus dem Lesebuche, der einfache Satz.
Lateinisch: Die regelmässige Formenlehre. Lektüre des Lesebuchs.
Geographie: Einführung in die Geographie. Europa.
Rechnen: Die vier Species mit unbenannten und benannten Zahlen. Regeldetri.
Naturkunde: Beschreibung einheimischer Pflanzen und Thiere.

Verzeichniss der Schulbücher.

Religion. Hollenberg, Hülfsbuch für den evang. Religionsunterricht, V—I. Zahn, bibl. Historien, VI—V. Das griechische neue Testament, II—I.
Deutsch. Hopf und Paulsiek, Lesebuch, VI—IIIa. Kluge, Geschichte der Nationallitteratur II—I.
Latein. Ellendt-Seyffert, Grammatik VI—I. Zumpt, Grammatik, II—I. Seyffert, Materialien, I. Seyffert, Uebungsbuch, II. Seyffert, Palaestra Musarum, III. v. Gruber, Uebungsbuch, IIIa. Die Ostermannschen Uebungsbücher von VI—IIIb.
Griechisch. Krüger, Sprachlehre II—I. Krüger, Formenlehre, IV—IIIa. Seyffert, Uebungsbuch, II—I. Gottschick, Lesebuch und Beispielsammlung, IV—III.
Französisch. Plötz, Formenlehre und Syntax der neufranz. Sprache, II—I. Plötz, vocabulaire system., IIIa—II. Plötz, Schulgr. III. Plötz, Elementargr., V—IV. Schütz, Lesebuch, II. E. Döhler, Materialien zum Uebersetzen aus dem Deutschen ins Französische.
Hebräisch. Gelbe, Grammatik, II—I. Gesenius, Lesebuch, II. Hebr. Bibel, I.
Geschichte. W. Herbst, hist. Hülfsbuch, II—I. Eckertz, Hülfsbuch, III. Jäger, Hülfsbuch, IV.
Geographie. Daniel, Leitfaden, VI—IV. Daniel, Lehrbuch, III.
Mathematik. Mehler, Hauptsätze der Elementar-Mathematik, IV—I. Meyer Hirsch, III—I. Vega, Logarithmentafeln, II—I.
Physik. Koppe, Lehrbuch.

Themata zu deutschen und lateinischen Aufsätzen.

Deutsche Themata: a) in Prima: 1. Tasso am Hofe zu Ferrara. Nach dem götheschen Schauspiele. 2. Schillers Räuber, eine polemische Dichtung. 3. Warum beklagt Schiller den Untergang der griechischen Götterwelt? (Klassenarbeit.) 4. Fleiss und Arbeit, das sind die Flügel, So führen über Strom und Hügel. 5. Wallensteins Lager erklärt sein Verbrechen. 6. Heinrich V. von England als Prinz von Wales. Nach Shakspeares Heinrich IV. 7. Wie ist die sittliche Umwandlung, welche bei Heinrich V. nach seiner Thronbesteigung eintritt, nach Shakspeare zu erklären? 8. Sollen wir uns, wie Horaz mehrfach empfiehlt, mit einem mittleren Lebensloose bescheiden? 9. Erläuternde Darlegung des Gedankenganges in dem flemmingschen Sonett: „An Sich“. 10. Gottscheds Verdienste um die deutsche Litteratur.

b) in Ober-Secunda: 1. Geduld überwindet Alles. 2. Der Siege göttlichster ist das Vergeben. 3. Wer in Unglück fällt, verliert sich leicht aus der Erinnerung der Menschen. 4. Verlauf und Bedeutung des Tarentinerkrieges. (Klassenaufsatz.) 5. Das Lob deutscher Tugenden im Munde deutscher Dichter. (Nach Gedichten von Arndt, Schlegel, Kinkel u. A.) 6. Wer im Zorn handelt, geht in Sturm unter Segel. 7. Ernst liegt das Leben vor der ernsten Seele. 8. Turpe est cedere oneri; luctare cum officio quod semel recepisti. 9. Ist Cn. Pompeius mit Recht der Grosse genannt worden? (Klassenaufsatz.) 10. Mit welchen Gründen versucht Hanna Kennedy die Selbstanklage Maria Stuarts zu entkräften?

c) in Unter-Secunda: 1. Die Besorgnisse Thibaut d'Arcs und ihre Widerlegungen. 2. Das Auftreten der Johanna d'Arc als Retterin Frankreichs. 3. Die ältesten Beziehungen Griechenlands zu Klein-Asien. 4. Inhalt und Zweck von Schillers „Wallensteins Lager“. (Klassenaufsatz.) 5. Das Eleusische Fest, eine Verherrlichung des Ackerbaus. 6. Vivos voco. mortuos plango. fulgura frango. 7. Der Charakter Hermanns in Göthes „Hermann und Dorothea“. 8. Welchen Vorzügen verdanken die Römer die Weltherrschaft? 9. Landschaftsbilder aus „Schillers Spaziergang“. 10. Die Grabschrift des Simonides. (Klassenarbeit.)

